

www.e-rara.ch

Omnes quae extant D. Hieronymi Stridonensis lucubrationes

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Basileae, [1536-1538]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: FM1 II 1-6

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62470>

Divo Hieronymo presbytero inscripta in evangelium secundum Marcum praefatio

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



Mnis scriba doctus in regno celorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Ego uero similis pauperulae uiduae, duo minuta in gazophylacium mittenti, discentibus meis pauperulis, ac de paupere pera sperantibus alimenta: has de mensa diuitum mitto micas, quas catuli mei auide cum Syrophcenista flagitant. Porro anxiata, aurum & argentum, lapides preciosos minime habens: pelles scilicet hyacinthinas de coelestibus, non de terrestribus offeram, si potuero de naturis: id est, de Marci euangelistae historia, uel mystico intellectu, ut maiores mei tradiderunt, deo adiuuante intimare curabo. Quem ideo euangelistam tractantes intantum ut puto praetereunt, quia eadem penè quae Mattheus narrat, licet in proprijs quibusdam sint distincti testimonijs, ut ala alterius, alam alterius tangat animalis, & rota rotam eadem sequatur uia, ut uersis inuicem uultibus, sese sancta contueantur animalia. In primo canone Marcus cum Matthaeo Lucaque comitatur & Ioanne. In secundo cum Matthaeo & Luca. In quarto cum Matthaeo & Ioanne. In sexto canone uelut in uno uecte duo anuli, Matthaeus semper coniungitur & Marcus, id est, in quadraginta & septem capitulis. In octauo canone cum Luca comitatur: id est, in tredecim capitulis. In proprijs uero quae maxime utcumque explanare dispono, decem & octo incedit speciatim capitulis, quae simul omnia ducenta & triginta quinque sunt capitula. Marcus euangelista dei, Petri discipulus, Leuiticus genere, & sacerdos in Italia hoc scripsit euangelium. Qui initium euangelij sui de uocibus prophetarum praesumens, praecursores Christi Ioannem, Malachiam, id est, angeli testimonio comprobans, uerbum caro factum, uoce Esaiæ designans, principium euangelicae praedicationis instituit: & inuenit in uerbo uocis quod in consonantibus, id est, in genealogijs dei & hominis perdiderat. Vnde totus in primis à perfectione Christi etatis praedicare inchoat: nec laborat in natiuitate infantuli, qui loquitur de perfectione filij dei. Sed & ieiunium numeri legalis, repulsam diaboli, ministerium angelorum proferens, magna in breui comprehendit. Qui primus Alexandriae fuit episcopus, cuius per singula opus fuit scire, & euangelij in se dicta disponere, & disciplinam in se legis cognoscere, & diuinam in carne domini intelligere naturam. Qui seminat post Matthaeum, qui fremit ut leo, qui uolat ut aquila, qui discit ut homo, qui immolat ut sacerdos, qui irrigat ut flumen, qui florescit ut ager, qui feruet ut uinum: Christus etenim de quo loquitur, homo nascendo, uitulus moriendo, leo surgendo, aquila est ascendendo. Quatuor sunt qualitates de quibus sancta euangelia contexuntur: praeccepta, mandata, testimonia, exempla. In praecceptis iusticia, in mandatis charitas, in testimonijs fides, in exemplis perfectio consistit. Vt sunt haec praeccepta. Tunc Iesus praecipit discipulis suis duodecim: In uiam gentium ne abieritis, & reliqua: hoc est, diuertere à malo. Mandata autem haec sunt quibus dicitur: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem: hoc est, facere bonum, & charitatem implere. Testimonia sunt, quae in ore duorum uel trium testium stant. Vt est illud: Ioannes testimonium perhibet de me, sed habeo testimonium maius Ioanne. Pater ipse qui in me manet, testimonium perhibet de me. Et ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, & ego testimonium perhibeo ueritati. Exempla uero sunt quibus Iesum imitantur dicentem: Discite à me, quia mitis sum, & reliqua. Et: Estote perfecti: id est, misericordes, sicut & pater uester coelestis perfectus est. Et alibi: Exemplum enim dedi uobis, ut & uos ita faciatis. Has quatuor qualitates psalmographi uersus concinunt, dicentes: Praeceptum domini lucidum illuminans oculos. Historiam maxime praeccepta continent. Et alibi: Latum mandatum tuum nimis. Quia qui diligit proximum, totam legem impleuit. Item, testimonia tua intellexi: non est enim omnium testimonia intelligere. Vnde alias dicit: Testimonium domini fidele. Quia potius fide animi, quam oculis carnis testimonium indiget. Quarto: Iudicia dei uera iustificata in semetipsa: id est, ut sic sint iudiciorum exempla nostrorum iustificata sicut in iudicijs dei comperta habemus. Vnde idem Videns alio loco ait: à iudicijs enim tuis timui. In quo enim iudicio iudicauerimus, iudicabitur de nobis. In his quatuor qualitatibus sunt, timor, fides, spes, charitas. Timore nanque incipimus, fide seruamus quod incipimus, spe erigi-

Hi commenta
rij non sunt
Hieronymi,
tamen si non
indigni qui
legantur.

A mur, charitate consummatur. Finis enim præcepti est charitas. Hi sunt quatuor menses quos Christus ante messem prædixit, dicens: Nonne quatuor menses sunt usque ad messem? Ut & nos per præcepta dei & mandata ac testimonia atque exempla, maturos post iudicium metamus cum gaudio fructus, qui in lachrymis timoris semina poenitentiae iactauimus in terra, nostros portantes charitatis manipulos cum gaudio metamus in cælo.



COMMENTARIUM HIERONYMI
in euangelium secundum
Marcum.

Initium euangelij &c.] κατὰ μαρκον euangelium per quod uenit redemptio fidei

beatitudo sanctorum, quia quatuor unum sunt, & unum quatuor: quatuor euangelia multarum constat esse uirtutum. Quid enim fortius quam animas saluare, quæ errorum suorum uitijs poterant interire? Secundum quod in sexagesimo septimo psalmo iam dudum propheta spiritu sancto instigante denudauit: Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtutes multas. Versus istius ordo talis est, qui huic operi congruenter inseritur, dominus dabit uirtutes multas euangelizantibus uerbum. Dedit enim uirtutes multas apostolis qui uerbum eius ueneranda confessione prædicabant, quando eis languentium turbas sanare concessum est. *καὶ ἡ χάρις* Grace, latine bona annuntiatio prædicatur, quod proprie ad regnum dei & remissionem pertinet peccatorum. Vnde dicitur: Poenitemini & credite euangelio, & appropinquabit regnum cælorum. Iesu Christi, id est saluatoris uncti. In Hebræo *ישוע*. In Græco *σωτήρ*, in Latino saluator. *ἡ χάρις* Hebraice, *χρηστός* Græce, unctus Latine. Idem rex & sacerdos dicitur, dum de genere David regis Christus nascitur, & uocibus uatum Leuitici generis prophatur. Vnde sequitur: Vox clamantis in deserto, & reliqua.

Matth. II. b

Vox est Ioannes, de qua uoce clamabat dominus Iesus ad Iudæos, quod inter natos mulierum maior illo esset nemo. Clamor autem ad surdos longe positos siue cum indignatione fieri solet, quæ Iudæo certum est euenisse populo, dum longe est à peccatoribus salus, & aures suas grauiter obturauerunt, sicut aspides surdæ, & indignationem & iram & tribulationem à Christo audire meruerunt. In deserto autem sit uox & clamor, quia deserti à spiritu dei sicut domus uacans & scopata, deserti à propheta, à rege atque sacerdote. Vnde Ioannes & Iesus quarunt quod in deserto amissum est. Vbi uicit diabolus, ibi uincitur: ubi cecidit homo, ibi exurgit. Ecce ego mitto angelum meum. Vox *ἀγγέλιος* per Malachiam ad patrem sonat de filio qui est facies patris, unde agnitus est. Angelus autem nuncius interpretatur qui prænunciat de Christo. Post me uenit qui ante me factus est, qui præparauit uiam tuam. Via domini qua ad homines ingreditur, poenitentia est, per quam deus ad nos descendit, & nos ad illum ascendimus. Vnde angeli ascendentes descendentesque memorantur ad filium hominis: Parate uiam domini: hoc est, poenitentiam agite & prædicare. Vnde *προκεκολλημένος* ante sabbatum dicitur, id est poenitentia ante requiem futuram. Hinc namque initium prædicationis Ioannis & Christi oritur. Poenitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum, quia in die septima requieuit deus ab omnibus operibus suis: Septem etenim nobis necesse est delere uitia per poenitentiam

✠ M A R C V S ✠



INITIUM euangelij Iesu Christi filij dei sicut scriptum est in Esaia propheta: "Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te." Vox clamantis in deserto: Parate uiam domini, rectas facite semitas eius. "Fuit in deserto Ioannes baptizans & prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudæa regio, & Hierosolymite uniuersi, et baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Ioannes uestitus

tiam uelut mala genera, ut requiescentes postea possideremus desiderabilem terram. Rectas facite semitas eius. Quas semitas incuruauimus declinantes in dexteram atque sinistram. Nunc deus præcipit nobis ut uia regia incedentes, proximos nostros ut nos, & nosmetipsos ut proximos diligamus. Nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui enim semetipsum diligit, & non diligit proximum, ad dexteram declinat. Et qui semetipsum odians proximum diligit, ad sinistram diuertit. Nam multi bene agunt, sed non bene corrigunt, ut fuit Heli. Et multi bene corrigunt, sed non bene agunt, ut fuerunt scribæ & pharisæi, qui sedebant super cathedram Moysi. Vnde os turturis in lege ad ascellas eius retorqueri iubetur, ne separetur os

ab opere, & opus nostrum non diuidatur ab ore. Semitæ autem post uiam sequuntur, quia mandata moralia post poenitentiam secundum Marcum explanantur. Paratur uia per fidem & baptismum & poenitentiam. Rectæ semitæ sunt per austeram indiciam uestis cilicinae, & zonæ pellicæ, & cibi locustini, & potus mellis syluestris & humillimæ uocis. Vnde sequitur. *b* ¶ Fuit in deserto Ioannes baptizans &c.] Ioannes gratia dei interpretatur. A gratia narratio incipitur. Vnde sequitur: Baptizans, per baptismum enim gratia datur qua peccata gratis dimittuntur. Vnde dicitur: Quod gratis accepistis, gratis date. Et apostolus ait: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, dei enim donum est, ne quis gloriatur. Et prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Quod consumatur per sponsum, initiatur per paranymphum. Vnde catechumeni, hoc est instructi incipiunt per sacerdotem, & chrismantur per episcopum. Nunc autem per amicū sponsi inducitur sponsa, ac si per Isaac puerum Rebecca pallio uelata albo conducitur. Et egrediebatur ad illum omnis Iudæa regio & Hierosolymite uniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine confitentes peccata sua. Confessio & pulchritudo in conspectu eius, id est sponsi. Vnde desinit sponsa de camelo, cum humiliat se nunc ecclesia uiso uero Isaac Iesu Christo, in cuius natiuitate risum fecit deus Sara, sicut ad Mariam dicitur, quæ est princeps cum deo. Benedicta tu inter mulieres. Iordanis autem descensio aliena interpretatur, ubi peccata abluuntur. Arca enim Iordanis transiit, dato per marmora peregrina in terram transiit alienam: & media parte in mare defluente, altera pars turgida montis erigitur forma. Sic nos olim alienati à deo per superbiam, per baptismi symbolum humiliati, erigimur in altum. Quia qui se humiliauerit exaltabitur. Pars autem quæ fuit in mare amaricatur: cum arca dei, hoc est corpus Christi, non mundatis non profuit, sed in deterius illa mutauit. Sequitur. *c* ¶ Et erat Ioannes uestitus de pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mellis syluestre edebat &c.] Vestis propheta & cibus & potus, totam austeram uitam prædicatam significant, & futuram gentem